

SCRIPTA

Numéro Scripta : 5210

Auteur(s) : Urbain III [pape]

Bénéficiaire(s) : Guillaume, Lisors, Notre-Dame de Mortemer (abbaye, abbé)

Genre d'acte : bulle

Authenticité : non suspect

Datation : 1186

Lieu d'émission : Vérone

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Le pape Urbain [III] confirme les biens, les libertés et les droits de l'abbaye Notre-Dame de Mortemer.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Ramackers Johannes, *Papsturkunden in Frankreich*, Neue Folge 2 Normandie, Göttingen, Vandenhoeck & Ruprecht (Abhandlungen der Gesellschaft der Wissenschaften zu Göttingen. Philologisch-historische Klasse, 21), 1937, 2 vol., n° 272, p. 362-364.
- b. Gallagher Philip Francis, *The Monastery of Mortemer en Lyons in the Twelfth Century*, its History and its Cartulary, Thèse, University of Notre-Dame, Indiana, 1970, 375 p. (dactyl.), « The Cartulary of Mortemer – B. N. MS. Latin 18369 », Act 11, p. 206-208.

Indications

Jaffé Philippe, Wattenbach Wilhelm, *Regesta pontificum Romanorum ab condita ecclesia ad annum post Christum natum MCXCVIII* 2^{ed.}, Leipzig, Veit, 1885-1888, 2 vol., n° 15598, t. 2, p. 501.

Texte établi d'après b

« Privilegium domni Urbani pape III. »

[U]rbanus episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Willelmo abbati monasterii sancte Marie Mortuimaris eiusque fratribus tam presentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum. Religiosam vitam eligentibus apostolicum convenit adesse presidium ne forte cuiuslibet temeritatis incursus aut eos a proposito revocet aut robur quod absit sacre religionis infringat. Eapropter, dilecti in domno filii, vestris iustis postulationibus clementer annuimus et prefatum monasterium sancte Marie Mortuimaris in quo divino mancipati estis obsequio sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et presentis scripti privilegio communimus, in primis siquidem statuentes ut ordo monasticus qui secundum Deum et beati Benedicti regulam atque institutionem Cisterciensium fratrum in eodem loco institutus esse dinoscitur perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Preterea quascumque possessiones, quecumque bona idem monasterium in presentiarum iuste et canonice possidet aut in futurum concessione pontificum largitione regum vel principum oblatione fidelium seu aliis iustis modis prestante domno poterit adipisci firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis : locum ipsum Mortuimaris in quo prefatum monasterium vestrum situm est cum omnibus pertinentiis suis, grangiam quam habetis in landa de Belfuissel cum omnibus pertinentiis suis, grangiam de Bosquentin cum omnibus pertinentiis suis, grangiam de Monterosti cum omnibus pertinentiis suis, grangiam

de Quercu Giheri in foresta de Tellis et omnes terras et boscum quod ibi habetis ex donatione et venditione vicedomnorum Gerborredi et concessione Ludovici pii regis Francorum, grangiam de Pomereia quam habetis ex dono Roberti de Dangu cum omnibus pertinentiis suis, grangiam de Mesengeria cum omnibus pertinentiis suis, grangiam de Bremulia cum omnibus pertinentiis suis, grangiam de Rollo cum omnibus pertinentiis suis, terram de Hunvalle in bosco et in plano quam vobis Osmundus de Hunvalle dedit, terras quoque quas vobis dederunt Willelmus Bennengal et Eustachius de Felgeroles in Montepetroso pro restauratione grangie vestre combuste ; vineas etiam, ortos et pomeria, terras et domos que habetis in villa de Falesia et in valle de Portmort cum omnibus pertinentiis suis, consuetudines quoque quas bone memorie R[otrudus] Rothomagensis archiepiscopus vobis in foresta sua dedit, vineas etiam quas habetis apud Noiseium et torcular cum pertinentiis suis. Inhibemus autem ne terras seu quodlibet beneficium ecclesie vestre collatum liceat alicui personaliter darisive alio modo alienari absque consensu totius capituli aut maioris et sanioris partis. Si que vero donationes vel alienationes aliter quam dictum est facte fuerint, irritas esse censemus. Ad hec etiam prohibemus ne aliquis monachus vel conversus sub professione domus vestre astrictus sine consensu et licentia abbatis et maioris partis capituli vestri pro aliquo fide iubeat vel ab aliquo pecuniam mutuo accipiat ultra precium vestri capituli providentia constitutum nisi propter manifestam domus vestre utilitatem. Quod si forte facere presumpserit, non teneatur conventus pro his aliquatenus respondere. Licitum preterea vobis sit in causis propriis fratres vestros idoneos ad testificandum adducere atque ipsorum testimonio sicut iustum fuerit et propulsare violentiam et iusticiam vindicare. Sane laborum vestrorum quos propriis manibus aut sumptibus colitis tam de terris cultis quam de incultis sive de vineis seu de nutrimentis animalium vestrorum decimas a vobis nullus extorquere vel exigere presumat. Liceat quoque vobis clericos vel laicos e seculo fugientes liberos et absolutos ad conversionem recipere et eos sine aliqua contradictione retinere. Prohibemus insuper ne ulli fratrum vestrorum post factam in loco vestro professionem fas sit absque abbatis sui licentia de eodem loco discedere ; discedentem vero absque communium litterarum cautione nullus audeat retinere. Quod si quis forte eos retinere presumpserit, liceat vobis in ipsos monachos vestros sive conversos sententiam regularem ex nostra auctoritate proferre. Paci quoque et tranquillitati vestre paterna sollicitudine providere volentes, auctoritate apostolica prohibemus ne ullus infra clausuras locorum seu grangiarum vestrarum violentiam, rapinam sive furtum committere, ignem apponere, hominem capere vel interficere aliqua temeritate presumat. Pro consecrationibus vero altarium vel ecclesiarum oleo sancto, ordinationibus monachorum qui ad sacros ordines fuerint promovendi vel quibuslibet ecclesiasticis sacramentis nullus a vobis aut sub optentu consuetudinis aut quolibet modo quicquam audeat extorquere, sed hec omnia a diocesano suscipiatis episcopo si tamen ea gratis et absque pravitate aliqua vobis voluerit exhibere ; alioquin liceat vobis quemcumque malueritis adire antistitem gratiam apostolice sedis habentem qui nostra fultus auctoritate quod postulatur indulgeat. Insuper etiam apostolica auctoritate sanccimus (sic) quemadmodum a predecessoribus nostris Romanis pontificibus vestro ordini est indultum ut nullus episcopus neque alia quelibet persona ad synodus vel conventus forenses vos ire vel iudicio seculari de propria substantia vel possessionibus subiacere compellat, illud adicientes ut nullus regularem electionem abbatis vestri impediatur aut de in stituendo vel deponendo seu removendo eo qui pro tempore fuerit contra statuta cisterciensis ordinis et auctoritatem privilegiorum vestrorum se ullatenus intromittat. Quod si episcopus in cuius parrochia domus vestra fundata est, tercio cum humilitate et devotione qua convenit requisitus, substitutum abbatem benedicere forte renuerit, licitum sit eidem abbati si tamen sacerdos fuerit proprios novicios benedicere et alia que ad officium suum pertinent exercere donec idem episcopus duriciam suam recogitet et abbatem sine pravitate aliqua benedicat. Porro si qui episcopi in personas vestras vel monasterium ipsum sententiam aliquam contra libertatem ordini a predecessoribus nostris et a nobis indultam promulgaverint, eandem sententiam tanquam contra apostolice sedis indulta prolatam decernimus irritandam. Libertates quoque seu immunitates a predecessoribus nostris indultas et exemptiones secularium exactionum a regibus et principibus pia vobis donatione concessas apostolica auctoritate confirmamus et illibatas statuimus perpetuo permanere quemadmodum predicti reges et principes vobis scriptis autenticis confirmarunt. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat prefatum monasterium temere perturbare aut eius possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere seu quibuslibet vexationibus fatigare sed omnia integra conserventur, eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis pro futura, salva sedis apostolice auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostre constitutionis paginam sciens contra eam temere venire presumpserit, secundo terciove commonita nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei et domni redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat atque in extremo examine districte ultioni subiaceat. Cunctis

autem eidem loco sua iura servantibus sit pax domni nostri Iesu Christi quatinus et hic fructum bone actionis percipiant et apud districtum iudicem premia eterne pacis inveniant. Amen. Amen. Amen.

BEATE

Data Veronam per manum Alberti sancte Romane ecclesie presbiteri cardinalis et cancellarii V nonas maii, indictione IIIa, incarnationis dominice anno M^oCL^oXXX^oVI^o, pontificatus vero domni Urbani pape III, anno primo.